



L. 70
Gm

2. B. 7.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

**SOCIALITATEM HAUD
GENVINVM IVRIS NA-
TVRALIS FVNDAMEN-
TVM ESSE,**

AD TVENDVM
LOCVM,

ab Amplissimo Philosophorum Ordine
perbenevole sibi concessum,

PRAESES

M. CHRISTIANVS MICHAEL *Sischbeck* /

Scholae Langensalz. vocatus Rector Subst.

RESPONDENTE

EMANVELE LEBRECHT AVGVSTO *Holtwich* /

Servefta - Anhaltino,

In Auditorio Maiori,

d. XXI. Aug. clō 15 cc III. Horis Matutinis
publice demonstrabit.

VITEMBERGAE, Literis CHRISTIANI GERDESII.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
EMANVELLI
LEBRECHT,
PRINCIPI ANHALTINO-
RVM, DVCI SAXONIAE, AN-
GRIAE ET VVESTPHALIAE, COMITI ASCA-
NIAE, DYNASTAE SERVESTAE ET BERNBV RGI,
ETC. ETC. ETC.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO

SEMPITERNAM FELICITATEM
EX ANIMO APPRECOR
SIMVLQVE SPECIMEN HOCCE
VT GRATAE MENTIS TESTIMONIUM
OFFERO ET CONSEURO

SERENISSIMO EIVS NOMINI
DEVOTVS

EMANVEL LEBRECHT AVGVSTVS Holzwich.



77 VA/B76

1121

B. C. D.



Vltis sane iisque praestantissimis ingenii id vitii adhaerere comperimus, ut antiquae sapientiae pertaesa, quicquid ferre ab eius cultoribus statutum fuerat, e medio tollere, novasque comminiscendo opiniones literato orbi innotescere cupide laborent. Id si unquam, certe hac nostra aetate quorundam, nimium sibi placentium, pruritus declaravit, qui communem eruditorum sententiam, qua iuris naturalis praecepta iustitia sanctitateque DEI inniti creduntur, ut odiosum Scholasticorum figmentum abhorrentes, in alias plane deteriores ruere, quam in hanc concedere mallerent. Aliqui a naturali hominum ferocia praedicti iuris originem arcessunt, & quicquid ad hanc reprimendam, pacemque inter homines conciliandam facit, in eo praeceptum, quicquid huic obest, vetitum esse credunt; cuius quidem sententiae auctor *Thomas Hobbesus* est, quam etiam publici iuris fecit in libro *de Cive cap. I § 12 p. 14. & in Leviath. P. I cap. XIII p. 64.* Qui vero cum non in natura recta, ut fieri debuit, sed perversa legis nobiscum natae fundamentum quaesiverit, optimo iure a rectiora edoclis, nominatim ab *Illustri Pufendorffio L. II c. II § 5 de I. N. G. Zentgravio art. V § 12 de Orig. Ver. et Immut. I. N. p. 131 seqq.* aliisque confutatus est. Alii legem illam in voluntate divina fundari persuasum sibi habent, in quam sententiam magno consensu itum est, cum primis a laudato *Pufendorffio*, qui eam *L. II c. III § 5 de I. N. G.* proposuit, et deinceps impugnatam a variis tueri magnopere laboravit. Nos licet concedamus, ius naturae, prout lex est, a voluntate divina proficisci; cum nihil rationem legis habere queat, nisi a voluntate legislatoris proveniret: attamen quia iam dictae sententiae patroni id non ponunt, quod DEVM permovit, ut alia honesta, alia turpia immutabiliter esse vellet, ad assensum nos perducere non possunt. Nonnulli in recta ratione iuris naturalis fundamenta

locata

locata esse putant, illud honestum esse existimantes, quod cum ea convenit, et turpe, quod cum ea disconvenit. Sed vero malumus de hac opinione Magni Ziegleri iudicium audire, quam ipsi audiri. *Vehementer*, inquit ille, *dubio, utram humana natura recte dicatur mater iuris naturalis, quippe quae potius subiective se habet, quam efficienter, et supra dixi, ius naturale ab imperio venire. Not. ad Grot. de I. B. P. p. 11.* Nec desunt, qui naturam humanam, quatenus socialis est, legis naturae matrem esse, persuasum sibi habent. Cum enim societas, qua homines et complures populi inter se colligantur, sine iure subsistere nequeat, hinc illud rectum honestumque esse dicunt, quicquid ad eam conservandam, et turpe contra, quicquid ad eam destruendam facit. Huius opinionis errore ductus IC. Belga, *H. Grotius*, multos magnosque viros in partes suas traxit, *Boeclerum* nempe, *Pufendorffium*, fratrem *Gvilelmum*, et, a quibus hodieque defenditur, plures alios. Diffiteri non possumus, speciosam hanc apparere in multorum oculis, cum primis eorum, qui utilitate magis, quam honestate metiri solent humanam felicitatem. Nobis tamen visum fuit, in ea examinanda studii nonnihil operaeque ponere, ita ut *primo* quidem in verum causae statum diligenter inquiramus, et *deinceps* praedictam sententiam idoneis rationibus, sine ulla tamen contendendi libidine, confutemus, reiectis simul iis, quibus nostra argumenta impugnari, ex recentioribus scriptoribus hucusque observavimus. DEVS O. M. approbet hoc negotium, suoque auxilio nobis succurrat, ut in veritatis notitiam perducamur.

I.

Atque ut inde exordiamur, haud erit alienum a re proposita, quid per ius naturale velimus intellectum, docere. Bene multi id vocant *ius gentium*, quia omnium omnino gentium naturae ipsius Dei digito impressum est, et integrarum gentium actiones dirigit. *v. Dn. Buddei Elem. Phil. Praef. P. II cap. 1 § 14 seq.* Nec desunt, *ius naturale et morale* patria per omnia facere autumantes, qui tamen inter utrumque multum interesse perpendere poterant, siquidem multa lege morali praecepta sunt, quae non sunt legis naturalis. Nos in
prae-

praesenti ius naturale a iure morali positivo et iure gentium
stricte disio recte distinctum volumus, prout tradit praecepta,
ad universum genushumanum pertinentia, et in immutabili
DEI natura ita fundata, ut hac salva, nulla ratione mutari queat,
et compleditur ea, quae in se suaque natura ante omnem Dei
voluntatem honesta vel turpia sunt. Hac mente *H. Grotius*
ius illud definit ut dictatum rectae rationis, indicans actui ali-
cui ex eius convenientia aut disconvenientia cum ipsa natu-
ra rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem
moralem, ac consequenter ab auctore naturae DEO talem
actum aut vetari, aut praecipui. *lib. I c. I § X.*

II.

Ceterum cum *fundamenti* notio, in hac controversia pas-
sim a moralium doctoribus usurpata, nonnullis parere possit
difficultatem, de ea quoque exponendum est. Vocatur alias
principium, fons, mater atque causa, imo etiam *lex et propositio*
fundamentalis, quae omnia iuris nostri praecepta compendio
compleditur, et ex qua ista facili et perspicua subsumptione
deduci, in eamque resolvi possunt. Nam quemadmodum ar-
chitectis fundamentum est, quod aliis sedem praebet, et
cui quicquam superstruitur: sic solum illud in disciplina I. N.
fundamentum est, unde reliquae propositiones eliciuntur, et
quo illae fundantur. Atque hoc non volumus esse proprie
dictam *πρόθεσις*, ideo, quod non duntaxat tanquam verum sup-
ponitur, non definit, utrum revera cum natura rerum con-
gruat, an minus; sed eius veritatem et existentiam manife-
stis et certis demonstrationibus utique subniti. v. *Pufen-*
dorff. Eris Scand. cap. IV § 1. Ita *Hobbesius* legem fundamen-
talem hanc ponit: *quaerendam esse pacem, si haberi possit;*
si haberi non possit, defensionem. Alii fundamenti loco consti-
tuunt hanc propositionem: *Quod in se et sua natura honestum*
aut turpe est, id lege naturali praecipitur aut vetatur. v. *Velhelm,*
Instr. ad I. N. et G. L. I c. I Q. IV p. 257 seqq. Nonnullis haec
placet positio fundamentalis: *Quicquid cum iustitia et sancti-*
tate DEI congruit, id lex naturalis hominibus praecipit;
quicquid eidem repugnat, eodem lex hominibus interdicit. Nostrae vero

dissertationis cardo in eo cum maxime vertitur, ut mentem aperiamus nostram super hac propositione: *Cuiuslibet homini, quantum in se est, colenda est societas humana.* Nam cum eius aestimatores omnia, quae modo cuique in lege naturali praecipuntur aut prohibentur, huic velint supertrudere, experientum est, num sine laesione veritatis fieri id possit.

III.

Equidem omne principium debet esse clarum atque perspicuum, ut eo audito, quid sibi velit illud, percipiamus. Sed vero socialitatis notio ita comparata est, ut eius explicandae labore non omnino superfedere queamus, si obscuritas sit devitanda. Nam *etiamsi ego rectissime sciam, legem naturalem velle, ut quislibet homo, quantum in se, colat et servet societatem; tamen ex his nondum adeptus sum distinctam satis scientiam, in quo scilicet illa socialitas consistat, quid illi conveniat, vel non, et consequenter, quid iure naturali praeceptum vel vetitum;* ait D. Groeningius in *Bibliothec. iuris Gentium Europ. Lib. III cap. X p. 318.* Huic proinde difficultati ut occurreretur, cupidissime laboravit Pufendorfssius, mentemque suam clarissime exposuit: se scilicet per socialitatem non praecise intelligere proclivitatem ad iungendas societates particulares, quae etiam malo fine et modo iniri possint, uti est coniunctio latronum, quasi sufficeret qualicunque intentione sese cum altero coniunxisse; sed innui per eam eiusmodi dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace et caritate, mutuaque adeo obligatione coniunctus intelligitur. Hinc priori quoque clariorem communicat nobis propositionem: *Cuiuslibet homini, quantum in se, colenda et conservanda est pacifica adversus alios socialitas, in doli et scopo generis humani in universum congruens.* lib. II c. III § 15 de I. N. G. Equidem Celeberrimus Zentgravius, qui olim adversus socialitatem, tanquam inadaequatum iuris naturalis principium, fortiter dimicavit, *Art. V § 5 p. 120. it. art. VI § 16 seqq. p. 167. seqq. de Or. Ver. & Immut. I. N. nunc reiecta quasi pristinam sententiam, pro ratione fundamentali universali habere se dicit Socialitatem.* *Summ. Iur. Div. p. 23.* Qua de re magnopere gloriatur Dn.

Ludo-

Eudovici in Delin. Hist. Iur. Nat. & Pos. § 61. At enim vero, proat obtutus oculorum testatur, loquitur laudatissimus Vir de generali socialitate universi generis humani sub imperio divino, qua sub DEO rege εὐσεβείας, σωφρονείας καὶ δικαιοσύνης nobis vivendum. *l. all.* Nobis vero cum adversariis nunc pugnandum est, num specialis illa socialitas, ad quam homines tantum pertinent, universi iuris naturalis fons esse possit, ex quo omnia eius praecepta hauriri queant?

IV.

Principio in argumentorum rationes, quibus Vir Illustris utitur, studiosissime inquirendum est. Ac si fatendum verum est, eodem fere modo, quo Hobbesius usus est, iuris nostri fundamenta indagasse videtur. Nam quemadmodum ille, supposita naturali hominis ferocia, paci ferendum esse, et quicquid ad eam conciliandam facit, iure naturali praecipit iudicavit: ita noster, supposita egestate, malitia, petulantia et ad iram noxamque propensione hominum, societatem humanam esse colendam, et quicquid ad eam promovendam faciat, mandatum, quicquid eam turbet, vetitum legibus naturalibus iudicavit. Audiamus, quaeso, ipsius verba: *Manifesto apparet, hominem esse animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio servari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum, idem tamen saepe malitiosum, petulantem, et facile irritabile, ac ad noxam inferendam promptum, ac validum. Eiusmodi animali, ut salvum sit, bonisque fruatur, quae in ipsius conditionem hic cadunt, necessarium est, ut sit sociabile i. e. ut coniungi cum sui similibus velit, et adversus illos ita se gerat, ut ne isti ansam accipiant eum laedendi, sed potius rationem habeant eiusdem commoda servandi aut promovendi. Ex quo consequitur, quia qui obligat ad finem, simul obligare intelligitur ad media, sine quibus finis non potest obtineri; omnia, quae ad istam socialitatem necessario faciunt, iure naturali praecepta, quae eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. l. all.*

V.

At enim vero sententia haec, utut aliquam veritatis speciem mentiatur, ideo vituperanda videtur (I.) quia legem natu-

naturalem non ex natura recta et rationali, quod tamen fieri
convenit; sed ex corrupta et animali derivat. Cum enim
*ratiō sit imperator et dux vitae mortalium, et dux generis huma-
ni*, ut loquitur *Sallustius de Bell. lug. p. 43.* ad hanc potius, quam
ad inclinationes, nobis cum brutis communes, cura erat con-
vertenda. Sane brutis animantibus quoque naturam id tribuis-
se experimur, ut sui conservandi sint studiosissima, ad mutua-
que commoda promovenda maxime idonea, atque etiam so-
ciabilia, suique similium consortii appetentia. Docent id co-
hortes apum aliorumque animantium, quae sui similium quae-
runt adspēctum, unoque grege communiter incedunt atque
circumvolitant. Nec vero in congenera saeviunt, sed a mu-
tua vi atque ferocia se abstinēt, et ut *Iuvenalis ait, parcit*

*Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tygris agit rabida cum tygride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.*

Audi praeterea *Ciceronem: generi animantium omni est a na-
tura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea,
quae nocitura videantur, omniaque, quaecunque ad vivendum sint
necessaria, anquirat et paret, ut passum, ut latibula, ut alia ge-
neris eiusdem. I. Off. cap. IV.* Quamvis vero alia animalia aliis
sint ferociora, quemadmodum lupus raro parcit ovi: doctrina
tamen et assuetudine redduntur mansuetiora. Quapropter
ut quis se ipsum conservare studeat, cum suique similibus in-
eat societatem, id ab instinctu proficiscitur naturali, brutis
aeque ac hominibus communi. Ast aeternum illud pepe-
tuumque ius, ad honestatem nos obligans, ab animali eius-
modi inclinatione et impetu proficisci non potest, sed a di-
vino imperio et eiusmodi principio, quo omnes homines ad
per se honesta obligentur, et ab iis, quae per se turpia sunt,
arceantur.

VI.

Non ignoro, quid aliqui respondere soleant ad hoc argu-
mentum, socialitatem videlicet non esse seorsim spectandam,
sed

sed cum recta ratione coniunctam. Hac mente H. Grotius *societatis custodiam, humano intellectui convenientem*, fontem agnoscit iuris naturalis. § 8 *Prol. I. B. P.* Eandem sententiam animo imbibisse video Boeclerum, qui cum societatem, rebus, personis, actionibus, ad honestatem et utilitatem ordinatam, naturam humanam appetere dixisset, ita tandem sermonem finit: *Hanc ergo societatis custodiam sive appetitum societatis ordinatae instructaeque naturalem, recte et merito Grotius iuris naturalis originem, fontem, principium fecit, seu magis, hoc iuri naturali fundamentum substravit. Nam ad ralem societatem DEVS homines condidit, natura instruxit, ratio deduxit, oratio copulavit. Comment. in Grot. Prol. p. 48 et 57.* Sic vero tantopere laudata socialitas normari debet norma rectae rationis, quod agnovisse videntur illi; tantum abest, ut ipsa possit esse regula et norma totius legis naturae, ad quam omnes humani actus dirigantur. Nam quamvis ego ex socialitate nonnulla perspiciam communi saluti conducere; recta tamen ratio in consilium adhibenda est, num illa sint honesta, et divino velle conformia. Vides proinde, prius tibi rationem habendam esse humani intellectus, quam quidem socialitatis. Imo etsi socialitas, cum ratione coniuncta, iuri nostro substernatur ut fundamentum, plura tamen officia derivari exinde haud poterunt, quam quibus homo homini obligatur.

VII.

Reprobanda praedicta sententia est (II.) quia non proxime honestatem, sed commodum atque utilitatem societatis, ut finem, respicit; quod verba supra ex Pufendorffii libro excerpta testantur. Oportebat vero in recte agendi normam inquisitionum palmariam curam habere honestatis, et tum demum sollicitum esse de emolumento societatis, utpote quod ab illa in maius meliusve promovetur. Nemo enim ita argumentabitur: quicquid facit ad conservationem societatis, illud iustum atque honestum est; sed ita potius: quicquid facit ad conservationem societatis, id utile est. Frustra proinde *Carneadis* errorem gravissimum refellit H. Grotius, quo iura sibi homines utilitate sanxisset varia pro moribus, et apud eosdem

B

pro

pro temporibus saepe mutata, statuerat. *Prol. in I. E. P. § 5.*
 Nam qui iusti et decori origines a societatis appetitu accersit,
 quid aliud, quaeſo, sentit, quam id demum rectum iustum-
 que esse, quod humanam utilitatem amplificat? Siquidem so-
 cietatis custodiam nihil aliud existimamus esse, quam publi-
 cam utilitatem. Atque haec Carneadis errori patrocinantur,
 et magnopere placebunt iis, qui omnia ad se rapere, suasque
 augere facultates, nulla ratione habita honestatis, didicere. Ni-
 hil sane impedit aliquem Alexandri M. aemulum, quo minus
 universum terrarum orbem, si possit, armis invadere, suoque
 adiungere imperio annitatur, nulla licet ad id audendum laces-
 situs iniuria. Etsi namque revocare illi in memoriam velis,
 hos ausus destruere violareque societatem humanam; illa ta-
 men inani idea parum movebitur, nec formidabit ficta eius-
 modi nomina, sed floccifaciet illa, et pro ridiculis terricola-
 mentis habebit. Si tu dixeris, DEVM tamen ipsi reverendum
 esse, iam te agnoscere prodes, tuam socialitatem compescen-
 dae eius rabiei imparem esse, et fortius firmiusque quaeren-
 dum esse frenum, quo libido eius regnandi coerceatur.

IIX.

Haec aliaque obiicienti *Zengravio*, praecepta nempe so-
 cialitatem concernentia, utilia quidem, non autem necessario ho-
 nesta esse, oggerit *Pufendorfius*, posse aliquam utilitatem ita com-
 paratam esse, ut etiam necessitatem arguat, praesertim cum ei-
 dem argumentis alia quoque coniungantur. *Spicil. I. N. cap. 1. § 15.*
 Haecenus bene. Nam pietas etiam ad omnia utilis est, et simul
 necessaria, quia a DEO nobis mandata est. Ast velim ego, ut,
 quod ad socialitatem attinet, fortioribus rationibus probe-
 tur, eam non solum utilem, sed propter divinum praeceptum
 simul necessariam esse, et per se ad ea, quae honesta sunt, invi-
 tare. Nam si alia argumenta illi adiungantur, quae praecipiant
 honesta, tunc non solum socialitati tribuenda est illa praestantia,
 quod sit incitamentum ad virtutes.

IX.

Id quoque (III.) me permovet, ut *Grotio* atque affectus
 assensum denegem, quia vi eius sententiae, quam castigamus,
 ius

ius naturale mutationi obnoxium esse statuitur, quod tamen adeo immutabile esse confitetur Belga, ut ne a DEO quidem mutari queat. *lib. I. cap. I § X de I. B. et P.* Quod si namque publica utilitas principium est eius iuris, quod nobiscum natum est, mutari illud poterit pro lubitu arbitrioque gentium, utpote quas utilitati renunciare suae, adeoque divinum illud ius tollere abrogareque sine ullius iniuria posse, nemo dubitaverit. Hoc dum asserimus, ius nempe naturale mutabile fore, si in utilitate fundetur, cum utilitati suae renunciare possit societas; excipit non nemo, *id nihil aliud esse, quam legislatorem insipientem posse leges ferre ineptas et iniquas.* Sed quid tum? Agnoscit tamen auctor, socialitatem legislatori insipienti asfamiliari posse, a quo leges ineptae et iniquae promulgari queant. Quod si ita est, haud firma et stabilia, sed inepta et vicissitudini obnoxia praecepta ab ea promanabunt. Unde vero scies, leges hasce, a socialitate latas, *ineptas esse et iniquas?* sine dubio lege aliqua edoctus, quae earum ineptias et iniquitatem demonstraret, eandemque, nisi me omnia fallunt, socialitate iudicabis superiorem.

X.

Accedit (IV.) eam esse socialitatis naturam, ut per se neminem obliget ad officia, in humana societate observanda. Omnis obligatio proficisci debet ab imperio. Verum tantum abest, ut societatis appetitus atque custodia imperare quicquam possit, ut ipsa potius lege sit praecepta, nec adeo legis auctoritatem sustinere ullo iure possit. Displacent haec auctori *Histor. Iur. Nat. et Pos.* a quo propterea nobis accurritur: *socialitatem non venditari pro principio ultimo, sed voluntari DEI subordinato, aut pro principio cognoscendi et demonstrandi voluntatem divinam ex lumine rationis.* Proinde mentem adfectorum nostrorum accurate loquendo non hanc dicit esse, ac si ex custodia socialitatis homines obligentur; sed ex voluntate DEI homines ad custodiam socialitatis obligari. § 102. Ego vero magnopere dubito, an haec cum mente Pufendorffii consentiant, utpote qui in scriptis suis socialitatis mentionem faciendo, eam agnoscit pro ultimo iuris naturalis principio, ex

quo omnia eius praecepta possint deduci. Ipse sane confite-
tur, se *fundamentum uniuersi iuris naturalis posuisse socialitatem*
hominis, quod nullum aliud principium deprehenderit, ad quod ad-
mittendum, ipsa mortalium conditione suffragante, adigi possent
omnes homines, quamcunque demum circa divina persuasionem
haberent. Praef. libr. de I. N et G. Quid vero ille? Socialitatem
vult voluntati DEI subordinatam, ut obligatio ab hac proveniat.
En cogitationes posteriores prioribus quodammodo melio-
res! Omnis enim lex, si obligare debeat ad obedientiam (debet
autem omnino) ab imperantis voluntate proficiatur neces-
se est, nec quisquam tanta erit temeritate, ut legislatoris vo-
luntatem ab hac velit exclusam. At enim vero multa hic con-
currunt, quae animum meum dubium atque anxium habent.
Primo enim plura haec non conficiunt, quam socialitatem be-
neficio voluntatis divinae obstringere homines, ut communes
utilitates in medium afferant. Quod si quis de officiis, quibus
quis DEO sibi que ipsi devincitur, sit sollicitus, non sufficiet
socialitas, etiamsi cum voluntate divina coniuncta, ut paulo
post demonstrabitur verbosius. Deinde cum ego scire aveam,
quae adaequata causa sit, cur DEVS velit, ut homo se absti-
neat a furto, adulterio, mendacio aliisque criminibus, cur non
praecipiat iniuriam, odium sui aliaque praeceptis morum ad-
versantia? non poterit meis satisfacere desideriis, scitis Pu-
fendorffii imbutus. Quod si namque lex naturae non nisi vo-
luntate DEI innititur, aequae poterit mutari vel abrogari, ac lex
caerimonialis et forensis. Neque est, ut dicas, *nihil dari divi-*
na voluntate superius, cum omnia in DEO aequae summa sint, et
sanctissimam perfectissimamque DEI voluntatem non nisi in bona
ferri posse. v. Sam. Cocceii tract. I. G. de principio I. N. vero et
adaequato, P. II p. 20 seq. Nam etsi attributorum divinorum
summa sit aequalitas, perfectissimusque consensus; iustitia ta-
men, sanctitas et perfectio divina in signo rationis nostrae
antedecenter se habet ad omnem voluntatem DEI, eoque quasi
superior est, utpote quae huic firmitatem addit, ne in con-
traria ferri possit. Imo etsi perfectissima sanctissimaque DEI
voluntas appetere non possit mala, et ab honestate remota, le-
gem

gem tamen velle posset abolitam, nisi statueretur ratio, cur voluntas DEI iusta in se honestaque tam constanter praecipiat, nec velit ea abrogata. v. *Zentgrav. de Or. Ver. et Immut. L. N. art. IIX p. 232 sqq.*

XI.

Tandem (V.) saepius memorata sententia ideo ex erudita civitate eicienda est, quia principium I. N. nobis commendat *haud adaequatum*, quippe ex quo omnia eius praecipia derivari posse, nego ac pernego. Nobilissima sane atque maxima laudati iuris pars sine hoc principio subsistere potest, utpote quod nec de ratione Deum colendi, nec de officio conservandi seipsum ac innocentia adversus nosmetipsos quicquam praecipit. Ipse Pufendorfius officia hominis et civis in officia adversus Deum, adversus nosmetipsos, et adversus alios homines distribuit. Ast quomodo, stante illa sententia, hanc doctrinam sustinere tuorique possit, non intelligo. Nam etsi nos vitam hominis socialem tam insuper non habeamus, ut eius usum in perquirendis officiis adversus alios existimemus plane nullum esse; ex ea tamen disci non possunt officia, quibus Deus observandus est, cum, quid ei debeamus, non ex ratione utilitatis et necessitatis socialis intuitu, sed ex ipsius divini Numinis consideratione disci oporteat. Neque etiam temperantia et innocentia, quam quis sibi ipsi debet, ex socialitate deduci possunt, cum *εαυτοφιλία* norma sit et mensura eorum, quae quis aliis hominibus tribuere debet. Vides proinde, principium tuum tam late se non extendere, ut etiam ea, quae Deo et nobismetipsis debemus, complectatur et praecipiat. Eleganter et nervose *Dn. Buddens*: *Illis*, inquit, *qui hoc effatum, socialiter vive, pro universali iuris naturalis principio venditant, suffragari nequeo. Licet enim et verum et evidens sit, non tamen est adaequatum. Elem. Phil. Pract. P. II c. IV Sect. I § 23 p. 250.* Imo et hoc in dubium voco, num quis ex hoc effatu omnia derivare queat officia, adversus alios observanda? Certe adulteria, fornicationes et incestus vitia sunt lege divina vetita, nec ullus homo honestus id ibit

iniciis Horum tamen turpitudinem quomodo quis ex fo-
 cialitate demonstrabit? Constat inter omnes, Turcis licere
 plures uxores ducere. Athenienses cives eo olim uteban-
 tur instituto, ut uxorem germanam ducerent in matrimo-
 nium. *Corn. Nep. Praef.* Apud alios populos impune licebat
 scortari, nec vitio vertebatur, si pater cum filia concum-
 beret, si maritus vel iuvenis cum alterius vivere uxore con-
 sivevisset. Haec omnia cum in grandibus flagitiis apud nos
 commemorentur, utpote divinis iuribus e diametro adver-
 santia, et nihilominus, salva societate humana, perpetrata
 fuerint a gentibus, hinc adversae parti incumbit, horum tur-
 pitudinem ex societatis custodia demonstrare, aut talia licita
 esse concedere; quod vero auditu horrendum. *v. Groening.*
Bibl. Iur. G. Eur.

XII.

Gravissimum vulnus infixisse haec videntur adver-
 sariis, qui tamen peccus rursus obfirmant, et ictum dissimu-
 lant. Putant, se tela nostra obrudisse, vi huius strategematis:
*Religionem naturalem nativam velut sedem in disciplina I. N. non
 sortiri, sed ex Theologia morali, vel prima philosophia mutuo peti.*
Spec. Contr. cap V § 25. Ego vero ita persuasus sum, nemi-
 nem philosophum practicum iure vocari posse, qui de offi-
 ciis adversus DEVM nihil commentatur, propterea quod
 tractandum est ipsi de summa hominis felicitate, iisque sub-
 sidiis, quibus ad hoc bonum pervenitur. Et in eo haec
 consistunt, ut quis adversus Deum *εὐσεβῶς*, adversus se
 ipsum *σωφρόνως*, adversus alios homines *δικαίως* se gerat.
 Est profecto *εὐσεβεία* omnium omnino virtutum fundamentum,
 Cicerone ita pronunciante, et ad felicitatis civilis adeptio-
 nem maximum adiuventum affert. Si quis proinde prae-
 cepta prudentiae moralis tradere, nec pietatis mentionem
 facere vellet, idem astrictus mihi videretur, quod archite-
 ctus, qui domicilium exstruere conaretur, nullo iacto funda-
 mento. Sapientius egit *Excellentiss. Roebrenseus, Patronus ac
 Praeceptor noster sanctissime observandus*, qui de subsidiis ad sum-
 mum bonum nos perducentibus commentaturus, primo
 omnium

omnium de pietate tractat, eiqve virtuti singulare caput tribuit, existimans, ceteris virtutibus, hac palmaria neglecta, decus suum constare non posse. *P. IV Prud. Mor. Clasf. I.* Docuit haec egregie pius *Ambrosius*: *Lex naturalis*, inqviens, *res habet partes, cuius prima haec est, ut agnitus honoretur creator, nec eius claritas et maiestas alicui de creaturis deputetur* *Secunda autem pars est moralis, h. e. ut bene vivatur, modestia gubernante: congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frenare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis, ut notitia creatoris DEI et exemplum morum ceteris tradatur, ut discant, quemadmodum apud creatorem meritum collocatur. in epist. ad Rom. c. 5.* Consultatur insuper *Io. Sebilveri Philos. Iuris cap II § 4 sqq.* Equidem in Theologia Morali agitur de officiis Deo debitis; sed haec perfectius ibi proponuntur, quam in Prudentia Morali fieri potest, deducta quippe ex sublimiori principio, quod imbecillis hominum sibi relictorum ratio non assequitur. Agitur quoque in Theologia naturali de DEO; sed non quatenus colendus est, verum prout est spiritus independens, infinitus etc.

XIII.

Occurritur nobis porro: *Cum religio, quatenus ad disciplinam naturalem pertinet, intra sphaeram huius vitae terminetur; eo quoque intuitu ad socialitatem referri potest, quatenus illa societatibus hominum efficacissimum vinculum praebet. Pufendorf. Praef. in I. N. et G.* Imperfecta et mutila sunt haec omnia, et religionis naturalis profunditatem non exhauriunt. Nolumus operose castigare opinionem, quia religio naturalis intra sphaeram huius tantum vitae terminari dicitur, utpote cui iam satisfactum esse reperimus in *D. Velhemii Intrad. ad I. N. G. p. 292. sqq.* Id tantummodo monitu necessarium esse duximus, non eum solum ob finem ab hominibus coli velle DEVM, ut humana societas firmissimo quodam coagulo confringatur, utque principes et cives DEVM eatenus modo revereantur, quatenus sic communi utilitati consulitur; sed ideo cumprimis, quia DEVS per se amabilis et propter beneficia in eos collata observandus est, et ut homo
huius

Iuius religionis beneficio manu quasi ducatur ad coetum, in quo verus, salutaris et ad sempiternam salutem nos perducens cultus Dei viget. Secus qui sentit, ratione status metitur religionem naturalem, et illi hanc accommodat, eaque tanquam subsidio quodam politico ad perterrefaciendas civium mentes temere abutitur. Vt fecit quondam Numa Pompilius, qui novo imperio conciliaturus fulcimentum, omnium primum rem ad multitudinem imperitam efficacissimam, Deorum metum iniiciendum ratus est. *Liv. I. Hist. c. 19.* Quocirca etiam atque etiam erat cavendum, ne cultus DEO debitus secundario tantum et *συμβεβηκότως* ex socialitate deduceretur, officiis quippe, nobismetipsis et aliis quae debemus, suo merito anteponendus.

XIV.

Adversus officia, quibus quis sibi ipsi obstringitur, ita insurgit adversarius: *Quaenam sit illa morum honestas et innocentia, ubique et extra societatem observanda, sive citra reflexionem ad alios homines, nondum dispicere potui. v. Pufend. l. all.* Haec vero perspicere sine negotio posse, autumamus. Nam si Deus unicum tantum hominem, tanquam speciem aliquam monadicam, in toto terrarum orbe voluisset esse superstitem, illum sane oportuisset vitam cibo potuque conservare, nec nimium cibi potusque sumendo mortem accelerare sibi, eaque anquirere, quae ad pie beateque vivendum sunt necessaria, declinareque e contrario sedulo, quae vitae morumque honestati obsunt, ne peccavisset adversus suum conditorem. Haec, inquam, observanda fuissent homini, extra omnem aliorum communionem posito. *Pufendorffius* eundem requirit ab *Excellentissimo Zentgravio*, ut probet, *ullam homini ad se conservandum obligationem esse, si idem nec DEI servus, nec societatis humanae membrum foret. Spicil. I. N. cap. I § 16.* Miror ego, a Viro docto talia potuisse desiderari. Hominem, etiam extra aliorum consortium constitutum, ad seipsum conservandum obligari, ex supra dictis constat. Eandem tamen obligationem firmam esse, etiamsi ille non sit servus DEI, quis, quaesito, asseveret? Obligatio proficiscitur a superiore,

riore, qui non solum viribus pollet in immorigeros animadvertendi, sed et cui iuitae causae sunt, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi: utpote si ab ipso insignia beneficia in nos derivata sint. *Pufendorf. lib. I cap. II de O.H. et C. § 5.* Quod si homo DEI servus esse negabitur, DEVS eo nec erit superior, nec beneficiis ornasse ipsum censebitur, adeoque sponte sua concidet praedicta obligatio. Est, qui alio modo mederi conatur difficultati: *Principium*, inquam, *socialitatis nihil aliud est, quam propositio, sub qua reliqua praecepta I. N. omnia, tanquam sub communi axiomate comprehenduntur, ipsum autem ista duo, DEO et imperanti esse parendum, tanquam generaliora praesupponit.* v. *Delin. Hist. iur. Nat. et Pos. § 102.* Frustra haec dici, vel inde constare potest, quia iam dictum est, Pufendorffium in generali quodam principio indagando occupatum fuisse, quod omnia I. N. praecepta sub se comprehenderet. Itaque primum illud praeceptum, quo DEI cultus exigitur, supponere tanquam generalius non potuit, nisi disciplinam I. N. mutilarem et mancam proponere, et in regulas methodi gravissime peccare voluisset. Et quomodo, quae so, supponere potuit religionem naturalem, qui iuris naturalis disciplinam scripsit in gratiam omnium, quamcumque demum placandi Numinis rationem edocti fuerint? cum in Theologia naturali de hac materia nihil agatur. Quapropter haec in excusationem magni viri prolata nolum non solvunt.

XV.

Quae paulo ante dicebantur a nobis, non omnia nempe officia, adversus alios observanda, ex socialitate derivari posse, sed ea modo, quae eam non destruunt, non placent cuidam, ita docenti: *Fateor quidem, ex principio socialitatis non posse deduci, quod e. g. incestus, sodomia, scortatio etc. sint crimina horrenda, qualia ea esse lumen revelationis nobis ostendit; sed exinde non sequitur, illud principium non esse verum aut adaequatum, sed illud tantum colligitur, lumen rationis maxima imbecillitate laborare, et longe plura in iure divino prohiberi, quam quae ex iure naturae tanquam illicita deduci possunt.* § 103 l. all.

C

Annon

Annon vero videt Vir doctus, *ἀντιμαρτυρία* a se statui, dum varia crimina horrenda ex socialitate deduci non posse fateatur, et eam nihilominus pro adaequato I. N. fundamento agnoscit? Neque admittenda excusatio est, quia iam dictorum flagitiorum turpitude ex sola revelatione, nec simul ex ratione innotescere nobis dicitur. Falsa haec sunt, et sine negotio doceri potest, quantopere haec vitia naturali iuri adversentur. Nam ad adulterium quod attinet, nemo non intelligit, per illud sanctissima tori foedera, divinis humanisque iuribus inita, turpissime rumpi, et fidem, iustitiae fundamentum, datis dextris stabilitam, violari. Hoc iudicium de scortatione quoque ferendum est, eam itidem repugnare legi divinae naturali, utpote quae omnem vim atque iniuriam abstinere vult ab innocentibus hominibus; in quam tamen legem iniqui sunt scortatores, honestarum saepe, feminarum pudicitiam violantes. Repugnat idem vitium illi *εὐπρεπὴς*, quia quis natura fertur in suscitandam alendamque prolem; cui tamen desiderio vel raro, vel turpiter, vel minime satisfieri in pellicatu potest. Sed cum instituti mei ratio id non ferat, ut de ceteris quoque criminibus pluribus exponam, lectorem huius doctrinae cognoscendae cupidum ablego ad *Roberti Scharrockii iudicia de variis incontinentiae speciebus*, ubi accuratius ostensum est, quomodo harum turpitude ex lege N. possit demonstrari. Certe iustissimum Numen hanc ob causam graviter in gentes animadvertit, quia haec crimina, repugnante licet humana natura, admiserant.

XVI.

Ceterum etsi horum vitiorum turpitudinem ex natura demonstrari non posse fateatur ille, non tamen putat, concludi exinde posse, adulteria esse licita, propterea quod *socialitatem et pacem quam maxime turbent*. *Nec ita arguendum*, inquit, *ex societatis custodia aeque turpia inferri posse* I. c. Verum non de adulteriis duntaxat, sed de aliis quoque horrendis criminibus sermo est. Adulterium socialitatem et pacem quam maxime turbare, a socialitatis patronis recte quidem dicitur; sed eius turpitude ex alio principio erat demonstranda. Societas hominum turbatur, ubi eius utilitati resistitur, et paci inferuntur

feruntur nocumenta, ubi aliquis iniuria laeßitur. Tam si propter incestum idololatriam aliaque flagitia publica tranquillitas turbari dicitur, manifestis argumentis id effatum comprobandum est, alias nemo violatae pacis et illatae iniuriae infimulari iure potest. Lacedaemoniorum respublica diu spectate floruit, in qua tamen varia vitia impune et sine publicae tranquillitatis laesione fuerunt graßata. Sicut hodieque fit apud Turcas, ubi pluribus uxoribus licet cohabitare. Si ru, qui Christianus es, exprobrare velles gentili de commisso incestu, idololatria aliisque horrendis criminibus, et ille contra consuetudine sua fretus, eadem ut licita defenderet, non posses sane malitiae convincere eum, etiamsi in socialitatem et pacem illa iniqua esse contenderes. Instabit namque paganus, nihil hucusque periculi, nihil incommodi in societatem exinde redundasse. Quapropter fortioribus argumentorum rationibus illorum iniquitas ante oculos ponenda est. Proinde parum considerate scripsit ille: *haec crimina haberi pro permisis iure naturae, non pro praeeptis.* Qui enim permetterent iure naturae, quae per se ita sunt turpia, ut ad eorum auditum tota natura cohorrescat, et eorum reos gentiles tantis poenis dignos iudicent?

XVII.

Varia denique (VI.) inveniuntur incommoda, quae Grotii sententiam premunt. Nam si socialitas fons esset atque origo I. N. fatendum esset, illud non dari sine socialitate. At vero rectius iamdudum docuit summus *Aristoteles*: ἔστι γὰρ ὁ μαντεύονται τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἀδίκον, καὶ μηδεμίαν κοινότητα πρὸς ἀλλήλους ἢ, μηδὲ συνθήκη. οἷον καὶ ἡ κοροιλέοις ἀντιγόνη φάινεται λέγασσα, ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον, θάψαι τὸν Πολυνεΐκη, ὡς φύσει ὂν τῆτο δίκαιον.

οὐ γὰρ νῦν τε καὶ θές, ἀλλ' αἰεὶ ποτε
ἢ τῆτο κούδεις οἶδεν ἔξ ὅτε φάνη.

Est enim quoddam, quod augurantur omnes, natura commune iustum et iniustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaque factio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, iustum esse, interdictum sepelire Polynicem, quasi natura sit id iustum. Non etenim id nunc, et heri, sed semper fuit. Et nemo scit, unde eius ortus sit. I. Rheior.

r. 13. Adduci ergo non possum, ut credam, societatem constituere hominem saluum, cum multi extra societates vitam degant solitariam, et fatis eam felicem: potius existimo, facere eam ad complementum salutis in hac vita. Secus si res se haberet, Adamus non fuisset saluus, antequam cum aliis in unam coalesceret societatem, quod tamen cum sacrae historiae veritate pugnat.

XVIII.

Contra haec profertur discrimen, quod ad nauseam usque inculcatum dicitur, *inter socialitatem adversus omnes homines exercendam, et inter peculiare commodum seu interesse societatis alicuius particularis etiam vitiosae.* v. D. Alberti Eros Lips. p. 94. Dicere vult huius distinctionis auctor, si leges universalis istius socialitatis non essent, naturaliter iustum et iniustum non esse. Haec vero imbecilliora sunt, quam ut obiectae difficultati tollendae sufficiant. Aristoteles legis originem non communi societati tribuit, sed natura dicit iustum et iniustum esse, et nos nescire, unde id ortum sit. Quod si nullum ius fuisset ante societatem, quae ad omnes homines porrigitur, integrum fuisset Adamo, antequam alii homines in hanc lucem producerentur, vitam instituere pro lubitu, DEVM revereri vel odisse, omnem honestatem insuper habere, sibimetipsi vitam eripere, vel alia detestanda admittere crimina. Verbo: nullis legibus fuisset adstrictus. Ast persuasus ego sum, antequam Evam nancisceretur uxorem, et cum aliis iniret societatem, ipsum DEO debuisset cultum et obedientiam, sibi quoque ipsi temperantiam et *αυτάδειαν*.

XIX.

Illud quoque incommodi affert Grotii opinio, quod ius naturae sibi ipsi videatur adversari, cum multa expediant societati, quae tamen contrariantur iuri nobiscum nato. Expediret sane civitati, principem, potestate sua abutentem, e medio tolli, quod tamen legibus a DEO latis repugnat. Imo licet ex socialitate deducere turpissimas conclusiones, cum eius utilitate coniunctas. Hoc nonneminis adeo non est contrarium, ut dicere non vereatur, *iustum esse, quod societatem ratione utentium perficit, et actionis iniustitiam non nisi ex socialitate perspici.*

perspici. Faciat ille, si lubet, periculum, num, hac stante sententia, Q. Curtium violatae legis naturalis accusare possit, cum in voraginem se praecipitem daret, ut praefens exitium a civitate averteretur. Vel tentet aleam, num iniustitiae insimulare possit Remp. Atheniensem, cum imperatores suos exilio mularent, ut crescens eorum potestas in tempore supprimeretur. Ego quidem, cui praestari hoc posse videtur ἀδύνατον, satius esse existimo, legem naturae tanquam speculum intueri, ex eaque potius actionum nostrarum honestatem vel turpitudinem diiudicare, quam ex socialitate.

XX.

Restat, ut ostendamus, (VII.) Celeberrimum Pufendorffium id non esse assecutum, cuius gratia in novo aliquo principio comminiscendo adeo fuit occupatus. Omne equidem militavit bellum, ut eiusmodi deprehenderet principium, ad quod admittendum, ipsa mortalium conditione suffragante, adigi possent omnes homines, quamcunque demum circa divina persuasionem haberent. Nos existimamus, veritatem non inniti multitudine eorum, qui eam approbent, sed decus suum conservare, etiamsi plurimorum assensu et suffragiis destituatur. Accidit eadem fortuna divinis mysteriis, quae utut fiat verissima, et a divino Numine clarissime proposita, a paucis tamen approbantur, a multis negantur, vel saltem in dubium vocantur. Dubitamus insuper, num dentur eiusmodi athei, qui omni DEI iurisque naturalis notitia destituantur? Vbi tamen non diffitemur, inveniri improbos viros bene multos, qui eo progressi sunt temeritatis, ut quam animo possident DEI iurisque naturalis scientiam temere inficientur et suppressere laborent. Neque vero id nobis denegabitur, nullam gentem tam esse barbaram, quae DEI iustitiam nesciat ac sanctitatem, qua honesta praecipiat, malaque declinare iubeat, ut boni aliquando praemiis afficiantur, et mali coerceantur suppliciis. Qua in sententia me confirmat D. Paulus, inveniens diserte, gentes scire τὸ δίκαιον 9^o Rom. I, 32. Et qui poterunt socialitatis intempestivi aestimatores gloriari, principium suum approbari ab omnibus, nec ab ullo rationis compote in dubium vocari posse? Praesto est Thomas Hobbesius, qui cum affectis, hominem animal socia-

bile esse, penitus negat. Neque vero est, ut dicas, illum ὁμο-
δοξίας tantum loco hoc asseverasse: cum ipsum firma animi
sententia hoc censuisse testis sit *Boeclerus Comm. in Grot. ad lect.*
Imo fieri nullo modo potest, ut eiusmodi in medium afferatur
principium, ad quod omnes gentes, etiam athei, adigi possint,
si ipsis quaelibet impiae ac frivolae opiniones permittantur.
*Pietate enim sublatâ, fides etiam et societas humani generis, et una
excellētissima virtus iustitia tollitur. Cicero lib. I de Nat. Deor.*

XXI.

Tandem id agit Pufendorfius, ut opinioni suae praesidium
adhuc conciliaturus, varia veterum suffragia conquirat, et *Cice-
ronis, Senecae, Plinii, M. Antonini et Libanii* auctoritate eam con-
firmet. *v. Lib. II c. III § 15.* Sed haec sollicitudo et diligentia
plane est supervacua et inanis. Nam *ad Senecam, Plinium,*
M. Antoninum et Libanium quod attinet, eorum sententia nun-
quam fuit, quasi humana societas sit fons et causa ejus iuris, quod
omnes ad parendum obligat; sed laudibus prosequuntur ampli-
simas utilitates, ex societate in nos redundantes, ut ex ver-
bis eorum leviter modo intuenti, vel me tacente, patebit. Equi-
dem Cicero sententiae Pufendorfianae fautor videtur esse, his
utens verbis: *Non opinione, sed natura constitutum esse ius, pate-
bit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris.*
lib. I de Legg. Ast nihil aliud hic docet Tullius, quam ex ordina-
ta hominum societate luculenter perspici posse, communia
iura, quibus illa continetur, non niti yana hominum opinione;
sed ab ipsa natura, DEO scilicet, profectum esse, ut homines
Deos caste colant, et communes utilitates in inedium afferant,
et alii aliis in anxietatibus constitutis succurrant. Ut omnia
summa brevitate complectar, dico cum *Dn. Buddeo: sane veteres,*
*ut et nonnulli recentiorum, dum socialitatem iurisprudentiae
naturalis fontem constituerunt, nihil aliud in animo mihi habuisse
videntur, quam unam saltem iurisprudentiae naturalis partem,*
*quae scilicet de officiis hominis erga alios exponit. P. II cap. IV
sect. 1 § 24 p. 250.*

XXII.

Nos sine negotio ostendere possumus, aliter plane sensisse
veteres, nec ex socialitate omnia iuris N. praecepta derivata vo-
luisse

huisse. Hoc enim consilio primo omnium de officiis, quibus DEO obligamur, faciunt mentionem, et deinceps ad ea demum convertuntur, quibus homo sibi ipsi aliisque obstringitur. Nihil elegantius est verbis *Pythagorae*, quorum nonnulla non pigrabor hic apponere.

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεῶς, νόμῳ ὡς δίακουται,
 τίμα.

τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ ποίεις φίλον ὅσις ἀρίστος.
 Πραεσι δ' εἶκε λόγοις ἐργασί τ' ἐποφελίμοισι.
 - Πηχθεὶς δ' αἰχρὸν ποτε μήτε μετ' ἄλλῃς,
 Μητ' ἰδίῃ. πάντων δὲ μάλις αἰχρῦνεο σαυτὸν.
 Ἔτα δικαιοσύνην ἄσκει ἐργῶ τε λόγῳ τε.

Primum omnium Deos immortales legitime cole. Aliorum quoque optimum quemque tibi virtute concilia. Benignis autem cede et pare sermonibus operibusque. Turpe quippiam nunquam facias nec cum alio, nec tecum. Sed omnium maxime te ipsum reverere. Deinde inlitiam exerce, tam verbis quam factis etc. Cum hoc eleganter consentit *Phocylides*: πρῶτα θεῶν τίμα, inquit ille, primum DEVM cole; et deinceps progreditur ad officia aliis debita: πᾶσι δίκαια νέμειν omnibus iusta tribue. *Seneca* etfi hominem doceat esse animal sociale, communi bono genitum, cui nos non repugnamus. *I de Clem. cap. 3.* idem tamen docet, bonum virum sine DEO neminem esse. *epist. 41.* Plura antiquitatis testimonia lubens nunc praetereo silentio, utpote cum a nobis iam commemorata, satis possint testari, falso a quibusdam dicitur, gentiles nostra principia, tanquam nimis Christiane propofita, non admittere. Quasi vero DEVS eorum mentibus nihil impresserit aliud observandum, nisi ea officia, quae ne humana societas destruat et funditus pereat, observanda sunt. Qui proinde pertinaces in sua sententia persistunt, societatis custodiam ultimum esse et adaequatum I. N. principium, DEVM tamen non excludi, sed supponi, ut vim legum habeat; illi statuunt, quae secum pugnant, et male id aliunde petitum volunt, quod tamen in praeceptis morum primum locum obtinere debebat. Sic accepi, inquit *Cicero*, in religionibus suscipiendis, caput esse, interpretari, quae voluntas I eo: n n immor

immortalium esse videatur. Or. pro domo sua, n. 170. v. Dn. Coccei, tr. de princ. I. G. P. I § 34 et 35.

XXIII.


Hic nobis occurrit: haec argumenta eos ferire, qui ius sola humana societate huius vitae desiniant, ut Pufendorfius et similes, non eos, qui rem referunt ad perfectionem societatis divinae humanae in universum. Veruntamen cum H. Grotius eiusmodi societatem ut I. N. principium agnoscat, quam natura omnes aequaliter participant; dubito vehementer, num DEVM inter et homines eiusmodi aequalitas sit statuenda. Cicero bene de ea loquitur: *Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in DEO, prima homini cum DEO rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est, quae cum sit lex, lege quoque confociati homines cum diis putandi sumus. I de Legg. Dn. Cocceius* haec tenet approbat eam societatem DEVM inter et homines, ut intelligatur talis, qualis est inter imperantem et parentes, ad stabiliendum suum principium, voluntatem nempe DEI, DEI imperatoris iussu et imperio insinuatam. *P. II tr. all. p. 32.* Sed vero hac de sententia mentem meam iam supra aperui, a voluntate nempe DEI iura quidem nobiscum nata proficisci, quatenus obligant, vimque legum obtinent; quod si vero sollicitus sis de ratione, quae moveat DEI voluntatem ad sic et non aliter praecipendum, iam diximus de altiori principio esse commentandum. *Dn. Zenzovius* iuri naturali etiam subternit socialitatem, ut supra iam ostendimus, sed eareus tantum, quatenus ex ea, cum recta ratione coniuncta, officia adversus alios exercenda cognosci possunt. *v. art. VI § 16. de Or. Ver. et Imm. I. N. p. 167 sqq.* Hinc non seorsim, sed cum humana natura, qua rationalis est, cum divina sapientia, cum voluntate divina secundum divinae omniscientiae et sapientiae, bonitatis, sanctitatis et iustitiae divinae distamina et normam agendi, regulam hominibus praescribere decernente, coniunctam ut I. N. fundamentum considerat. *de Iust. et Iur. p. 34.* Nihil addo, nisi verba Magni Ziegleri: *Inter DEVM et homines vix est, ut societatem admittam, nisi κατάλογος ἰσῶς, propter immensum, infinitam et spirituales DEI naturam, cui pares esse nullae creaturae possunt. Est enim societas communio; at hic nulla communio, nisi ratione eius, quod naturaliter et ex se, ante omnem volitionem divinam, iustum aut iniustum, honestum aut turpe est in § 3 I. 1. Grot.*

SOLI DEO GLORIA.

17 WA 1376

WA 13





Farbkarte #13

B.I.G.

2. B. 7.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

**SOCIALITATEM HAUD
GENVINVM IVRIS NA-
TVRALIS FVNDAMEN-
TVM ESSE,**

AD TVENDVM
LOCVM,
ab Amplissimo Philosophorum Ordine
perbenevole sibi concessum,

PRAESES
M. CHRISTIANVS MICHAEL *Schischbeck /*

Scholae Langensalz. vocatus Rector Subst.

RESPONDENTE
EMANVELE LEBRECHT AVGVSTO *Holzwich /*

Serveffa - Anhaltino,

In Auditorio Maiori,

d. XXI Aug. c^o Is cc III. Horis Matutinis
publice demonstrabit.

VITEMBERGAE, Literis CHRISTIANI GERDESII.